

1605 in aera dispergantur , agi inquit . Quid enim tam brevi momento , nisi ignis tormentariique pulveris fulminea vi , conficiatur ? Itaque fornicis penitiora excuti jubet . Abdita , superjecta lignorum strue , fraus delitescebat . Iusus depromere atriensis , cuiusnam acervus ille lignorum esset , Thomae Percii , respondit . Adjicit Montilaqueus , ab eo exaratam epistolam suspicari . Noctu Percii famulus intercipitur : penes illum cum filice calybs repertus ; amotis lignis , dolus recluditur . Tormentarii pulveris sex ac triginta capsulae inventae feruntur . Scelus omne Percii famulus aperit ; infectam rem fuisse , faciem non intulisse , angi : sceleris socium habere neminem : divino nutu id aggressum : religioni caput extollenti , malum genium invidisse : non infimo se loco natum , alienum sibi indidisse nomen ; Vitum Fauchium gentilicio nuncupari . Sed qui confortes facinoris pernegaverat , acerba fidicularum poena territus ac dejectus cuncta fatetur : cuniculorum conficiendorum artes in Belgio didicisse , Catisbejum & Percium consilii participes habuisse ; proximas palatio ab iis aedes conductas ; alto omnia se silentio tecturos jurejurando , tactis aris , pollicitos : noctu effodiendo hiatum ejusmodi aperuisse , quo in fornicem comitiorum aulae suppositum aditus erat ; ad rem opportunius perficiendam , Percium subterraneam ab atriensi cellam conduxisse , quam deinde sarmentis ac pulvere oppleverant : dilata saepius comitia patrandae rei opportunitatem abstulisse . Vitum ut socii interceptum cognoverunt , fuga se subducunt ; dolo irrito ad arma configiunt ; perditos homines sibi adsciscunt ; milites cogunt ; catholicam religionem sceleri praetendunt . Insaniae vix centenos assecas habent : a provincialibus praefectis impediti , in arcem configiunt , obsidentur , igne ferroque pertuntur ; pressi , perfractis portis , in confertos milites , desperatione adacti , præcipites ruunt : glande ferrea Catisbejus interficitur , Percius graviter cæsus , vulneri medelam respuens , post triduum obit : ceteri vinceti Londinum trahuntur . At in eos , qui catholicam religionem colunt , vulgus fremere ; in exterorum Principum legatos invehi , maledictis proscindere . Rex ad plebem sedandam edictum emittit : nihil in ea conjuratione ab externis Principibus actum : Catisbeji Perciique cadavera per lutulentas semitas pertracta , poenas dedere :
reli-